Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Isaak Faust Johannes Fridericus Pierus

Exercitatio Theologica Tertia In Sententiam Salomonis Proverbiorum Cap. XVI, vers. 4. ... Omne operatur Dominus in hoc responsum suum, & impium quoque in diem malum

Argentorati: Pastorianus, 1697

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861547543

Druck Freier Zugang

49. d. 5.

51

Fa – 1092 (51.)

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn861547543/phys_0002

1. Phil. Dav. Kraeuterus de eo, quod sublime est in oratione adu. Interp. Wertheimensen ad Gen. I. 3. Jenae 1738.

2. Jo. Meisner de imagine Dei in homine ante lapsum ad Gen. I. v. 26. 27. Witteb. 1676. rec. ib. 1703.

3. 4. 5. Jo. Chr. Klemmius de ὠπζπ protoplastorum serpente ad Gen. III. 1 ff. Tubingae 1738. & 39.

6. Albertus Schumacher de ἐμπυρισμῷ sacrificii Abelis ad Gen. IV. 4. Bremae 1718.

7. Christi. Lud. Schlichter de iride eiusq emblemate ad Gen. Gen. IX. 12–17. Halae 1739.

8. Jo. Georg. Neumannus de mensura peccatorum impleta ad Gen. XV. 16. Matth. XXIII. 32. Witteb. 1702.

9. Pet. Zornius de fisco iudaico eiusq calumnia S. C. sublata ad Gen. XLIX. 10. Jes. VII. 8. Matth. III. 10. Lucae II. 1. 2. 3. & Actor. V. 37. Sedini 1732.

10. Gust. Georg. Zeltneri Schilo nodis solutus ad Gen. XLIX. 10. Altorfii 1710.

11. Abrah. Calovius de regali sacerdotio ad Exodi XIX. 5. 6. & 1 Pet. II. 9. Witteb. 1679. rec. ib. 1701.

12. Gustav. Peringerus de Asasele, s. hirco emissario ad Levit. XVI. Upsaliae 1683.

13. 14. Jo. Fischmuth de hirco emissario ad Lev. XVI. Jenae 1664 & 68.

15. Jo. Joach. Schröderus de hirco emissario eiusq ritibus & mysterio. Marb. 1725.

16. Dav. Richteri physiognomia Davidis. ~~Jenae 1715~~. ad Levit. XXI. 16 ss. Jenae 1715.

17.a. Jo. Frey vindiciae loci Num. VI. 22 ss. a detorsionibus Wertheimensis Pentateuchi Interpretis. Jenae 1739.

17.b. Jo. Leonh. Reckenbergeri disputatiuncula de Ebraeor. electis s. studiosis ad Jo. Frey. Ib. eod.

18. A. C. Gaskenholtz de immunditie ex contrectatione mortuorum secund. legem Mosaicam Num. XIX. Helmst. 1708.

19. Jo. Casp. Haferung de Bileamo incantatore & Propheta periodico. Witteb. 1739.

20. Jo. Dav. Grillo Deum Triunum esse ex Devt. VI. 4. assertum. Franc. ad Viadr. 1736.

21. Mich. Chr. Rusmeyer de Aarone viro sancto tribus Levi, typo Christi ex Devt. XXXIII. 8. Gryph. 1738.

22. Jo. Mich. Lorentz de supplicio Achanis ex Josuae VII. Argentor. 1735.

23. Petr. Becker de miraculo solis et lunae in hemisphaerio Gubaonis et Ajalonis ad mandatum Josuae stantium ad Jos. X. 12. 13. Jen. 1739.

24. Carol. Ludov. Hoheisel de Rutha noctu Boasum invisente, et ab aliorum criminationibus vindicata ad Ruth III, 2–10. Ged. 1729.

25. El. Sieberradii Theologus heros, ab Elia olim propheta in ecclesia corruptissima olim expressus ad 1 Reg. XIX. 10. Argentor. 1722.

26. Isaac. Faustius excercitatio ad Pr. inscriptionem Psalmi XXXIV Davidis. Argentor. 1699.

27. Anonymi meditatio de Jesu Christo victore, praedam distribuente. ~~Ger. 17~~ ad Ps. LXVIII. 19. Gerae. 1729.

28. Christiani Erdm. Schumann de expiatione hyssopo facta ad Ps. LI. 9. Lips. 1738.

29. Theod. Dassovius de lustratione Hebraeorum ad Ps. LI. 9. et Hebr. IX. 13. 14. 1692. rec. Witteb. 1735.

30. Corn. Dieter. Kochius in Psalm XCI. Helmst. 1729

31. Jo. Henr. Lederlin diss. in Ps. CXIII. Argent. 1708.

32. Eiusd. observationes miscellae ad Ps. CXIV ibid. 1712.

33. Jo. Faustii excercitationes in sententiam Salomonis Proverb. XVI. 4 ib. 1695.
34. 35.

36. Gustav. Georg. Zeltner de aurora fidei, inter rationis tenebras emergente. ad Jes. VIII. 19. 20. Altorf. 1723.

37. Programma academiae Göttingensis ad Jer. XXXI, 22. 26. sqq. Gott. 1739.

38. Jo. Christi. Hebenstreit de Baxois ad illustrandum [illegible] Ezech. VIII, 17. Lips. 1713.

39. Dan. Pfeffinger de ~~Dani~~ Michaele Angelorum auxiliatore. ad Dan. X, 13. Argentor. 1713.

40. Programma academiae Helmst. de Michaele Archangelo. ad Dan. X, 13. et 20. Helmst. 1722.

41. Ottop. Ludov. Königsmarck de judice Israelis virga super maxillam percusso ad Mich. IV, 14. Jen. 1739.

42. Alb. Menon. Verpoortenius de justitia fidei ad Hab. II, 3. 4. Ged. 1736.

43. Jo. Geor. Michaelis de viro stante inter myrtos. ad Zach. I, 7. Hal. 1739.

44. Programma de Spiritu Gratiae ex Zach. XII, 10. Helmst. 1731.

35.

I. N. D. N. I. C.

EXERCITATIO THEOLOGICA TERTIA

In

Sententiam Salomonis

PROVERBIORUM Cap. XVI. vers. 4.

כל פעל יהוה למענהו וגם רשע ליום רעה:

Omne operatur DOMINUS in hoc responsum suum, & impium quoque in diem malum.

Quam

DOMINO ADJUVANTE,

PRÆSIDE

VIRO Maximè Reverendo, Amplißimo, atq; Excellentißimo,

DN. ISAACO FAUSTIO

SS. Theol. D Ejusdemq; Prof. P. Ord. & Seniore,
Conventus Ecclesiastici Præside, & Capituli
Thomani Præposito, h. t.
RECTORE MAGNIFICO.

Præceptore ac Patrono suo magno.

In Alma *ARGENTORATENSIUM* Universitate.

defendet

JOHANNES FRIDERICUS PIERUS

Idsteniensis Nassoicus

Ad diem XXVI. Mens. Junij Anno M. DC. XCVII.
horis locoque consuetis.

ARGENTORATI, Typis JOHANNIS PASTORII.

36.
37.
40.
4
43.
45.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861547543/phys_0007

ILLUSTRI COLLEGIO
DNN. DISPENSATORUM
LEGATI
SCHENCKBECHERIANI,
VIRIS
MAGNIFICENTIA, NOBILITATE GENERIS, MUNERUM AMPLITUDINE, MAXIME REVERENDA DIGNITATE, CONSULENDI DEXTERITATE, EXPERIENTIA MEDENDI, PRUDENTIA QUE ADMINISTRANDI SPLENDIDISSIMIS,

DNN. Mœcenatibus, Patroniſque meis, in æternum, omni honoris cultu, devenerandis

Hancce Diſputationem Theologicam

in ſui ſtudiorumq; ſuorum commendationem humillimè conſecrat & offert

Johan. Frideric. Pierus
Reſpondens.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861547543/phys_0008

A Ω!

Proverb. XVI, 4.

§. I.

ANALYSIS Dicti hujus hac Disputatione absolvenda est, suntque adjicienda cœtera, quæ supersunt. Obtulit enim se, qui hanc Disputationem defenderet, Studij Theologici Cultor eximius, à Conversationis Modestia, & Innocentia Vitæ, & Conatu proficiendi, successuque, commendandus. Quietis suæ, per annos quinque in Universitate nostra transactæ, rationem reddere voluit exhibito specimine publico, quo uteretur, etiam cum publico in Ecclesia DEI muneri fuerit adhibendus. Faveat his Studiis, institutoque nostro, DEUS, quem cum fiducia, quia in FIDE JESU, invocamus.

§. II. Ad verbum Textus *primum*, כל, Disp. secundæ §. 21. 22. 23. explicatum, unicum Locum addo, qui est Job. XXXIII, 29. *Ecce*, omnia hæc כל אלה *facit DEVS*, *duabus vicibus*, (aut) *tribus cum* (uno) *viro*. Habetur hoc in loco non tantum כל, sed additur etiam illi אלה, vertiturque, *OMNIA HÆC*. Neque tamen phrasis hæc, hoc in loco usurpata, ad Creationis opus, vel ad Creaturas, nos deducit, sed ad operationes DEI, gubernatione sua salutem intendentis. D. Schmidtius b. m. in Commentario: *Malo statuere, quod* Elihu *locum de altero verbi signaculo, quod CRVX est & AFFLICTIO, ita concludat, ut dicat, hoc signaculum* DEO *esse frequentissimum, & longe frequentius altero per SOMNIA, ita ut DEVS sæpissime eo in uno etiam viro utatur, ut* Jobus *minus miretur, in se uti illo DEVM*, q. d. *Et quod de AFFLICTIONIBVS dixi, non rarum est* DEO, *ecce enim cum uno viro duabus aut tribus vicibus, h. e. sæpe HÆC FACIT OMNIA*. Et post hæc: *Itaq; כל כלה OMNIA HÆC, involvit ea, quæ à vers.* 19. *de redargutione per morbum, hoc est, AFFLICTIONES,*

 dicta

dicta sunt. Sic Elihu, oculis Jobi afflicti caligantibus, objecit Providentiam DEI boni, qui hisce OPERATIONIBUS suis, & malos ad pœnitentiam invitat, bonosque à malo avertit, atque in bono exercet & confirmat, utrumque ad salutem utriusque, atque ad utrumque à damnatione removendum.

§. III. Ad vocem Textus *secundam*, פעל, hoc adjicitur. In eodem Elihu sermone ad Iobum, XXXVI, 3. *Sumam scientiam meam à longinquo, ET OPERATORI MEO.* (ita Versio habet Ariæ Montani, ולפעלי) *dabo justitiam.* Vulgatus: *Et OPERATOREM meum probabo justum*: Pagnin. *& FACTORI meo dabo justitiam.* LXX. abeunt: ἔργοις δέ μου δίκαια ἐρῶ. Pluralis foret Substantivi פעל POAL. Si vertendum omnino est: *Creatori meo, conditori meo, factori meo, opifici meo*, tum fuerit hic locus unicus. Non id tamen videtur esse necesse. Atque huc referrem, quæ D. Schmidtius b. m. in Commentario habet. In Analysi c. 36. p. 1342. *Eam* (attentionem) II. *sibi conciliat.* I. *à Retractanda nobili, PROVIDENTIA sc. DEI, maximè de ORDINE SALVTIS, nec non Afflictione* Iobi. Et ad vers. 2. p. 1345. *PRO DEO autem, est, pro Iustitia DEi, & perfectione sapientiæ Ejus, in constituendo inprimis ORDINE SALVTIS, tum etiam GVBERNANDIS REBVS OMNIBVS: sicut* vers. 3. *exponitur.* Atque iterum pag. eadem ad vers. 3. *rem totam de DEI PROVIDENTIA, & inprimis ordine ad salutem, & specialius de afflictione* Iobi *exponendo, quomodo tota res rectè & piè consideranda & credenda sit.* Hanc explicationem secutus, illud, לפלעי accipere possum, eo in sensu, qui Psalm. CXXXIX, 1. 2. 3. 4. 5. 6 exponitur: *IEHOVAH, perscrutatus es me, & cognovisti. Tu cognovisti sedere meum, & surgere meum: intellexisti cogitationem meam è longinquo. Viam meam & locum quietis meæ cinxisti, & omnibus viis meis assuescis. Non enim* (est) *verbum in lingua mea*, (quod,) *ecce, IEHOVAH, non noveveris omne. Post & ante formasti mihi, & posuisti super me manum tuam. Mirabilis* (est) *scientia præ me; altior* (est,) *quàm ut sim sufficiens illi.* Et Psalm. LXXIII, 24. *In Consilio Tuo ducis me.* Itaque sensum verbi expressero: Et ei, qui me sua Providentia gubernat, gubernatori meo, qui operatur omnia in me, in quo sum, & vivo, & moveor, qui scientiam & verba impertitur, quo me docente, quo me ducente, quo & scientiam cordi, & verba ori suppeditante,

tecum

tecum loquor. Atque, uti Articulus, qui in Locis Theologicis est de *Providentia*, locum de *Creatione* supponit, ita Elihu de alio, quam Creatore suo, hanc Confessionem edere non potuit.

§. IV. Duo sunt per Concordantias in Scripturis loca, in quibus Participium *POEL* occurrit. Psalm. LXXIV, 12. *DEVS enim* (est) *Rex meus ab antiquo*, פעל ישועות *OPERANS SALVTES in medio terræ.* Providentiæ divinæ, qua DEUS, ut REX omnia gubernat, operationes celebrantur. Ita vox Elihu poterit verti: *Et OPERANTI me.* Locus alter, Habac. I, 5. *Videte* (ergo) *inter gentes, & circumspicite, & miramini, miramini* (inquam) *quia* (POEL POAL, OPERANS opus sum) *opus operaturus* (sum) *in diebus vestris*, (quod,) *non credetis, quando annunciabitur.* Etiam hic locus mirabiles divinæ Providentiæ operationes, actiones, ductus commendat. Est igitur פעלי agenti me, ducenti me, regenti me, Regi meo, qui me totum regit & gubernat in omnibus consiliis, viis, operationibus, actionibus meis. Lutherus vertit, Iob. XXXVI, 3. Meinen Schöpffer. Sed & in Psalmo, priùs allegato, CXXXIX, 5. Du schaffest es / was Ich vor oder hernach thue. Versio, Argentinæ edita, An. 1485. Meinen Wercker

§. V. Advocem *tertiam*, §. 42. Disp. secundæ, JEHOVAH, duos solùm, ex Psalm. XXCIII, versus allegamus. Vers. 17. *Imple facies eorum ignominia, ut quarant Nomen Tuum, IEHOVAH.* Et vers. 19. *Vt agnoscant, quod Tu* (sis) *Nomine Tuo IEHOVAH solus: Altissimus super omnem terram.* IEHOVAH itaque verus DEUS est. Quærere Nomen Jehovæ, est verum DEUM, atque in Eo, salutem suam, quærere. Nomen Jehovæ inventum, omnem à facie ignominiam abstergit, cor serenat, vultum exhilarat. Adhæc, Solus verus Deus, solus Altissimus, præterque Eum alius nullus, Nomine suo Jehovah est. Baptizatus in Nomen Patris & Filij & Spiritus sancti, eam agnitionem est consecutus, quâ agnoscit, quod solus verus, vivensque DEus nomine suo Jehovah sit.

§. VI. At verbum *QVARTVM* in Sententiæ ordine, prolixæ, intricatæque Disquisitionis est. *Lammaanéhu* למענהו. Existimamus tamen extricabilem eam difficultatem esse atque perplexitatem. Et sane de vocis hujus ratione ex Analogia Hebrææ Grammaticæ, usuque in Scriptura sacra occurrentis, ante omnia certò

constare debet. Theodoric. Hackspan. part. 2. Notar. Phil. Theol. p. 435. *Hîc vero res* OPPIDO OBSCVRA *est, perquedifficilis, aliis deducentibus à* לְמַעַן *aliis à* מענה *cujus vers.* 1. *facta jam erat mentio. Attendendum proinde solicitè cum ad suffixum tùm ad præfixum.* &c.

§. VII. *Duæ* itaque sententiæ sunt. Prior, *particulam* exponit; Posterior, *Nomen.* Particulam exponit Schindlerus Lexic. col. 1350. postquam plura dicta allegavisset, subjecit: *Proverb.* XVI, 4. *Omnia operatur Dominus* לְמַעֲנֵהוּ PROPTER SEMETIPSVM: *& etiam impium ad diem malum. Hinc apparet* מַעַן *ex* מענה *esse.* Avenarius etiam in Lexico, in Radice, ענה f. 588. מַעַן *Occupatio, Res qua quis occupatur. Semper usurpatur cum* ל *& significat* PROPTER. Pergit post loca aliquot: *Prov.* XVI, 4. *Omnia operatus est Dominus* PROPTER SE, *atq; impium ad diem malum.* Cornel. à Lap. part 2. Comment. in Prov. f. 7. OPTIME Noster, Pagnin. Vatabl. *& alij vertunt,* PROPTER SEMETIPSVM.

§. VIII. Iudicavit aliter D. Calovius: *Vox Ebræa, quæ hîc habetur, reddi* NON POTEST, *propter semetipsum,* Et D. Pfeifferus p. 735. *Calviniani hinc adstruere conantur absolutum suum Decretum* &c. *Verùm sic vocem* לְמַעֲנֵהוּ *habent pro particula* לְמַעַן *cum affixo, quod* INEPTUM *est.* Hackspan. l. c. p. 437. *Quo minus deducatur à particula, alia* (difficultas) *emergit, nempe quod Præfixum habeat Patach sequente Dageſch.* Productis dein locis Scripturæ plurib., addit: SEMPER *absq; Dageſch, impresso literæ* ם: *Ita hoc quoque loco omitti debebat, & Scheva subjici literæ* ל. Calovius dixerat: *Præpositio* לְמַעַן PROPTER, *sub prima litera semper Scheva retinet, nec affixum* הוּ &c. *suscipit* &c. Sunt sane rationes, quæ movent, particulam non esse. Ratio autem non est fuga Anomaliæ, sed fuga Anomaliæ majoris, & quæ sine exemplo est. Non enim sine causa Hackspanius dixit p. 438. ANOMALIA *itaq; fuerit, sive deducatur à Nomine, sive à Particula.* Sed, uti jam præmisimus, Anomalia major est, si particula exponitur, & Anomalia sine exemplo. *Primò* enim, Præfixum ל habet Patach, alibi semper Scheva. *Secundò*, litera ם habet Dageſch forte, quod non habet alibi. Quæ duæ rationes, duo argumenta sunt, He Emphaticum, quod dicitur, esse exclusum, quod Particulis non præfigitur, sed nominibus. *Tertia* ratio est ab Affixo הוּ petita. Quod solet suffigi Nominibus

minibus in He præcedente Sægol terminatis, quale non est Particula לְמַעַן. Tum verò etiam si abesset Patach & Dageſch, tamen exemplum nullum supereſt, Affixi הוּ, Particulæ לְמַעַן ſuffixi. Conf. Chriſtian. Noldium in Concordant. Particul. p. 521.

§. IX. Itaque ut *Nomen* accipiunt alij. Calovius l. cit. MANIFESTUM *autem eſt, Nomen* מַעֲנֶה *hîc occurrere, ab* עָנָה *reſpondere* &c. Glaſſ. Phil. ſacr. Lib. 3. Tract. 7. de Conjunct. Canon. XX. Edit. vet. p. 626. Edit. nov. 830. *Illud autem Prov.* XVI, 4. *quod vertitur, propter ſeipſum:* POTIUS *Nomen* מַעֲנֶה *cum Affixo eſt, ſenſum hunc reddens. Omnia operatur Dominus* AD RESPONSUM SUUM, *h. e. ut cuncta humiliter reſpondeant ipſius voluntati, & ſingula ſuæ creationi idq; præſtent, ad quod ſunt facta, & quod jubentur à ſuo factore,* &c Geierus 839. 840. *Quod ipſum duplex incommodum (videlicet Pathach ſub Lamed, & Affixum* הוּ *loco Vav)* SATIS URGET, *ut aliunde deducamus, nimirum ex nomine* מַעֲנֶה *reſponſum* &c. Pfeifferus p. 737. *Eſſe autem Nomen* PATET 1. *ex affixo* הוּ 2 INFALLIBILITER *ex præſente He Emphatico, quod in Particula nullum locum habet* &c. Hackſpan. p. 438. *Fatendum tamen* RECTIUS *deduci à Nomine, juxta exempla modo adducta, & propter terminationem* הוּ. EVINCUNT *enim hæc,* OMNINO *Nomen* POTIUS *eſſe, quàm Particulam.* Et p. 439. IUDICO *itaq; eſſe Nomen, atq; textum ita transferendum: Omnia Deus operatur* AD RESPONSUM SUI, *etiam Impium ad diem mali.*

§. X. Rationibus potioribus cedimus meritò. Anomalia una objicitur, Affixum cum He Emphatico, quamvis extruſo, in voce una. Hackſpan. 437. *Neq; enim plane inſolens eſt, in Scriptura occurrere Emphaticum* הּ, *& cadere in eandem dictionem cum ſuffixo.* p. 438. allegat loca Lev. XXVII, 23. Ioſ. VII, 21. Mich. II, 12. Geierus p. 840. *talia exempla plura Nominum, cum Affixis etiam He Emphaticum illud habentium, afferuntur à Buxtorffio lib. 2. theſ. gram. ſub finem cap.* V. Hæcibi. Ita ſane Buxtorfius loc. cit. p. 387. *ſex* produxit Exempla: Lev. XXVII, 23. Ioſ. VII, 21. VIII, 33. 2. Reg. XV, 16. Eſr. X, 14. Eſaj. XXIV, 2.

§. XI. Chriſt. Noldius, ſupra §. 44. allegatus, cùm p. 452. allegaviſſet Prov. XVI, 4. vertiſſetque: *Etiam impium in die afflictionis:* Annotatione 1404. addit: *Scilic.* מַעַל לְמַעֲנֵהוּ *facit ſecundum reſponſum ſuum: id eſt: facit ut reſpondeat voluntati ſuæ; & ſu-*

mat finem, non quem ipse vult, sed quem Deus intendit. Nihil pro absoluto Decreto aliorum: cum aliud sit, facere improbum, aliud, facere לְמַעֲנֵהוּ *in die supplicij.* Hæc ibi. Idem cum p. 459. allegavisset Prov. XVI, 4. vertisset que: *Omnia operatur (ordinat) Iehovah secundum responsum suum*: Annotatione 1409. adjecit: *à* מַעֲנֶה *responsum &c. Iuxta responsum suum, seu ut respondeat ejus voluntati &c.* Exempla Nominum subjiciuntur, desinentium in He præcedente Sægol, & suffixum הוּ recipientium. Tandem addit: *Contra totam Grammaticam, He inferre particulis &c. He inter radicales harum literas interponere. Quod in hac lingua* PRORSUS ABSONUM.

§. XII. Nomen habemus. Nondum est omnis difficultas expedita. Pronomen suffixum הוּ ad quid refertur? Cornel. à Lap. loc. cit. *Verti potest propter ipsum, scilicet, opus: Deus enim nulla re indigebat: aut potius, propter ipsum, scilicet, hominem, qui præcessit* vers. 2. & 1. Hæc ibi. In Sententia ipsa neque OPUS expressum est, neque HOMO. Non est autem ab ipso Textu abeundum. Longinquior illa relatio est, quæ ad hominem refert, quem versus vel primus vel secundus nominaverit. Geierus plura habet. p. 838. *nemoq; voluntati ejus resistere vel non respondere queat, Rom.* IX, 19. *tum* PRÆCIPUE ORDINI *illi creaturis præscripto, ubi unum quodq; respectum habet ad alterum, eidemq; per aptam veluti* HARMONIAM *respondet.* Duplex interpretatio est. *Prior*, de rebus omnibus Deo respondentibus, cujus voluntati nihil resistat, sed cogantur obtemperare omnia, & nemo queat non-respondere. *Posterior*, de rebus sibi invicem respondentibus, per harmoniam aptam. Utraq; interpretatio res, sive creaturas, facit respondentes. Repetuntur talia p. 839. *ad certam sapientemq; totius universi harmoniam, ita ut respondeat, vel obsequi teneatur tùm Creatori, tùm Creaturarum cæterarum nexui.* Et p. 840. *Idem vidit quoq; Mar. Marinus, arcæ f. 396. verius, inquiens, formatur à Maaneh, responsioni suæ, ebraismo sane perquam eleganti, prout sibi correspondeant & invicem* OPEM FERANT. Hæc ibi. Hæc Interpretatio responsionem facit, quæ opem ferat. E vestigio cogitari potest, cujus sit respondere opem ferendo? Cujus sit exaudire invocantes, respondere invocantium votis & precibus, & opem ferre laborantibus. Et audiens, verti, *responsioni suæ*, conjungentque textus verba: *Omnia operatur Dominus responsioni suæ*: vix de alio cogitare potest, quàm de Domino respondente. §. XIII.

§. XIII. Et p. 841. repetitur: *harmonicum illud responsum* &c. Ipse D. Geierus p. 840. *Quæritur, ad quid respiciat affixum* וֹ *ipsius, an ad operantem Deum, an ad* כֹּל *universitatem, operationi illi subjectam?* Priori *modo mens erit, Deum operari universa atq; singula, ad responsionem sui ipsius, vel ut respondeant sibi ipsi h. e. ut sibi obtemperent* &c. Posteriori *autem modo operari dicitur Deus universa atque singula ad responsionem vel in responsionem ipsorum, h. e. ut singula atq; universa* RESPONDEANT INVICEM SIBI IPSIS, *vel ordinem harmoniamq; observent mutuam* &c. Addit: *Qua sanè posteriori ratione* ELEGANTER *cohæret id, quod sequitur*, &c. Videtur posteriorem expositionem, his quidem verbis, priori præferre. Priori autem favet verborum constructio. Tamen & hæc Creaturas facit respondentes Deo. D. Pfeifferus p. 737. *Cæterum* NON REPUGNAMUS &c. *si quis ad rem ipsam referre malit, ita ut dicatur Deus singula operari, ut singula & universa respondeant sibi ipsis, vel ordinem harmonicum observent mutuum* &c.

§. XIV. D. Calovius utramque prolixius exponit sententiam, plurefque Interpretes, Interpretumque memorabiles & pias sententias affert p. 1169. atque *PLERIQVE suffixum ad Deum retulerunt* &c *Alij tamen affixum malunt ad opera Dei referre* &c. Et judicat p. 1170. *Nulla istarum Interpretationum vel analogiæ fidei dissona, vel à verbis Salomonis aliena, Neq; improbandus Grotianus sensus* &c.

§. XV. Nobis videtur præferenda expositio, quæ Affixum refert ad JEHOVAM, omnia operantem. Verborum simplicitas favet: *Omne operatur Dominus in hoc responsum suum*, vel, *ad responsum suum*, vel, *responsioni suæ.* Præterea *IEHOVAH*, & *ad responsum suum*, cohærent immediate. Adhæc, כֹּל non videtur esse ipsa rerum creatarum universitas, sed universitas operationum divinarum, ut sensus sit: *Quicquid operatur Dominus, id operatur in responsum suum.* Accedit, omnia pronunciata sic esse concepta, ut Majestas IEHOVÆ celebretur ubique, atque ad Eum referantur omnia. Prov. XVI, 11. *Libra & Lances judicia Domino* (debentur:) מַעֲשֵׂהוּ OPUS EIUS *sunt lapides loculi.* Eadem utriusque vocis Grammatica ratio est, מַעֲנֵהוּ & מַעֲשֵׂהוּ, Utraque vox Capiti eodem Proverbiorum repetitur. Responsum est Domini, uti opus est Domini. Utrobique vox utraq; immediata conjunctione Domi-

Domino subjicitur. Nec hoc tantum, sed & illud. Uti מעשהו *opus Ejus*, est opus quod operatur ipse, quod ab ipso operante procedit: ita *Responsum Ejus*, est responsum, quod respondet ipse, quod procedit ab ipso respondente.

§. XVI. Quicunque *Nomen* accipiunt לשמעהו, agnoscunt He Emphaticum extrusum, vel absorptum. Agnoscunt autem, qui vim vocum ponderant, non sine Emphasi singulari He Emphaticum cum suffixo in una voce reperiri. Ita Buxtorfius Thes. Gram. p 387. ad Jos. VII, 21. *In medio* ISTIUS *tentorij* MEI. Ad Jos. VIII, 33. *Et aliud* ILLUD *dimidium* EIUS, Ad Lev. XXVII, 23. & *dabit* ISTAM *æstimationem* TUAM. Ad 2. Reg. XV, 16. IPSAS *prægnantes* EIUS &c. Pari ratione vox nostra non erit simpliciter reddenda, *ad responsum suum*, sed, *ad* ISTUD *responsum* SUUM, *in* ILLUD IPSUM *responsum suum*. Atque tum, responsum istud, in Contextu fuerit contentum. Et habebit illud versus immediate præcedens: *Volve* (fiducia fidei, ardore precum, gemituum continuatione jugi) *ad Dominum* (Deum tuum) *opera tua*, (quæ non procedunt non operante Domino,) *tum vero confirmabuntur* (à Domino, te exaudiente, tuis precibus respondente) *cogitationes tuæ. Omne enim*, quod operatur Dominus, qui tamen operatur omnia, ut frustra tu operaris, non operante Domino, vel, te non operante in Domino, *in hoc responsum suum* operatur, ut tibi invocanti respondeat, firmetque cogitationes tuas.

§. XVII. Hujus invocationis, faciendæ ab homine, & responsionis divinæ, ab homine precibus petendæ & impetrandæ, Necessitatem, Salomon etiam versibus prioribus insinuavit. Vers. 1. *Homini dispositiones cordis, sed à Domino est responsum linguæ.* Non nitere optimis cordis tui dispositionibus, & sapientissime ordinatis, ut videatur tibi successus infallibilis, & exitus ad votum necessarius, sed memento Domini, Dominum respice, Dominum invoca, à Domino tu pende, & quod tuum est, quod disponis, à Domino suspende. Vers. 2. *Omnes viæ viri mundæ in oculis ejus, sed dirigens spiritus Iehovah est.* Cogitasti de via, eam examinavisti, videtur ab offendiculis libera, sed, quæso, Dominum invoca, cui subjectus est tuus spiritus, ut is spiritum tuum dirigat & confirmet.

§. XIIX. Possumus etiam, in hac meditatione, nobis ea

oracula

oracula Scripturarum sistere præsentia, quæ Providentiam Dei, omnia gubernantis, à clamore describunt, atq; ab expectatione, qua omnia clamant ad Deum, providentem omnibus, qua omnem opem à Deo expectant atque consequuntur: adhæc ab exauditione, qua Deus votis congementium respondet, & clamores invocantium exaudit.

§. XIX. Insignis locus est Hos. II, 21. *Et erit in die isto; Exaudiam*, (respondebo, ענה. Ipsum id verbum est, unde Nomen est מענה, quod in sententia nostra habetur,) *dictum IEHOVÆ, exaudiam cœlos*, (respondebo cœlis, responsum meum cœlis dabo, accipient, audient cœli responsum meum) *& hi exaudient terram*, (cœli respondebunt terræ,) vers. 22. *Et terra exaudiet frumentum*, (terra respondebit frumento) *& mustum, & oleum, & hæc exaudient Iisreelem.* (hæc respondebunt Iisreeli.) Sic gubernat Deus omnia, sic cœlum terramq; regit, sic hominibus, & Iisreeli Deus providet, ut ad suum responsum ordinet omnia, ut ab exaudiente responso suo veluti pendere omnia. Etiam creaturarum subordinatio, connexio, harmonia, homines excitat, invitat ad invocandum Dominum, promittitque invocantibus benignum Domini responsum. Pendet omnis benedictio, omnis successus, à respondente Domino.

§. XX. D. Tarnovius Comm. p. 75. *Exaudiam cœlos, qui cum hactenus fuerint à me facti æquei* &c. *AD ME velut CLAMANT, &, ut se in pristinum restituam locum, rogant* &c. *Exaudiant terram, dando pluviam ac imbrem, quæ ipsa velut POSTVLAT nimis exarefacta* &c. Et p. 85. ex vers. 21. Doctrin. 2. *Probatur hic illa divina PROVIDENTIA, quâ naturæ cursum dum conservat, quicquid ille facit, recte ipse summus GVBERNATOR fecisse dicitur* &c. *VT ITA DISCAMVS OMNIA AD IPSVM REFERRE, ipsiq; pro singulis agere gratias.* Ita Tarnovius. Operatur omnia Dominus in istud responsum suum. Discamus itaque, omnia referre ad ipsum. Namque ideo Scriptura sacra testatur, à responso Domini pendere omnia, ut ita, docente nos Scriptura, discamus omnia, quæ volumus, quæ optamus, quæ expectamus, referre ad ipsum, piis & humilibus & continuis precibus, D. Glassius Rhetor. sacr. 140. Ed. vet. *Exaudire cœlum dicitur Deus, cum beneficia confert, de cœlo dans pluvias* &c. *quod tacito*

quasi DESIDERIO exoptat, & pro eo DEVM INVOCAT cœlum &c. Et p. 200. 201. Ed. vet. *PROSOPOEIA pulcrè &c.* In marg. *Physica Christiana.* In Textu: *Piorum cœtus quasi inclamat, h. e. expectat triticum &c. & hæc quasi inclamant terram &c. & terra quasi invocat cœlum &c. Et cœlum quasi invocat Deum, causam omnium summam &c.* Rursus, *exaudit Deus, hominibus propitius factus, cœlum, vim ei conferens &c.* Et p. 518. 519. ubi Figura dictionis tertia, CLIMAX, explicatur, ad Hos. II, 21. 22. *Hæc gradatio non absonè Physices Theologicæ epitome vocari posset, cum omnes conservationis, tam totius Naturæ, quàm in specie ipsius hominis, causas pulcerrimâ prosopopœia enumerat.*

§. XXI. Psalm. CIV., 20. *Disponit tenebras, ut fiat nox; in qua prodit omnis fera silvæ.* vers. 21. *Leones, rugientes ad prædam; & ad quærendum à Deo cibum.* Sic Leones A DEO cibum QUÆRUNT. A Deo, quem scilicet suo modo INVOCANT. Et vers. 27. *Omnia Te expectant, ut des cibum eorum tempore suo* vers. 28. *Das illis (quod) colligant: aperis manum Tuam, (&) saturantur bono.* &c. Possent conferri sententiæ. Prov. XVI, 4. *Omnia operatur Dominus in responsum suum.* Et Psalm. CIV, 27. *Omnia Te expectant.* Geierus de Hebræa voce: *accipi solet de absentis boni impatientiore desiderio.* Etiam illud אליך quod in Hebræo textu est, advertî posset. Est enim: *Ad Te.* LXX. πρὸς σέ. Pagnin. *In Te.* Quia DOMINUS omnia operatur in responsum suum, hinc fit ut כלם omnia ista, אליך ad Te convertantur, Te respiciant, Te invocent, ad Te clament, à Te expectent &c. Gilb. Genebrard. *Omnia à Te. A Tua providentia &c. ut sine ejus misericordia & largitate interire ea necesse sit.*

§. XXII. Consonat illud Psalm. CXLV, 15. *Oculi omnium Te expectant: & (es) dans illis cibum illorum in tempore suo.* vers. 16. *Aperiens (es) manum Tuam, & satians omne vivens (cum) beneplacito.* Nullum sane sine Emphasi verbum est, nullum sine suavi dulcedine, & efficacia penetrante. Geierus: *Qui avide aliquid concupiscunt, anxie etiam oculis suis eò collimare solent.* Repetitur אליך *ad Te* Supra §. 21. Quod vertitur: *expectant*: Geierus reddit: *intenti sunt.* Addit: *Vtut vero brutæ Deum eo modo non agnoscant, expectent, invocentque, quò faciunt homines aut angeli, dici tamen propterea nequit, eadem Creatorem suum AGNOSCERE aut EXPECTARE modò planè nullo.*

§. 23.

§. XXIII. Psalm. CXLVII, 9. *Qui das bestiæ cibum ejus: filiis corvi, qui INVOCANT* (Illum.) Menochius: *suo modo Deum invocant, quasi nutritorem, dum attollunt vocem, & caput in cœlum* &c. Et Gilb. Genebrardus: *Invocantibus eum: ad eum clamantibus, Suo modo Deum invocant* &c. Eadem enim Genebrardi & Menochii verba sunt.

§. XXIV. Buxtorf. in Concordantiis, מענה *Responsum, Exauditio.* Loca sunt, Job. XXXII, 3. *quod non invenissent* (Maanéh) *responsum.* vers. 5. *quod non esset* responsum *in ore trium virorum.* Prov. XV, 1. Responsum *lene retrahit iram* &c. XV, 23. *Gaudium viri* (est) *in* responso *oris ejus: & verbum in suo tempore quàm bonum!* (Phrasis est una: *Responsum oris*, h. l. & *Responsum linguæ*, XVI, 1.) D. Geierus Comm. p. 811. Responsum oris, *quando quis, vel interrogatus, vel sponte, ex bono cordis thesauro, profert ea, quæ in commodum Ecclesiæ, reipublicæ, vel privati cujusq; vergunt, informando, arguendo, adhortando, consolando* &c. Prov. XXIX, 19. *Verbis non castigatur servus: nam intelliget, sed non* (erit) responsum. (Psalm. CXIX, 91. *Ad judicia Tua stant hodieq;: quia omnia sunt servi tui.* הכל עבדיך, universa hæc servi Tui sunt. Servi boni, Domino respondent verbo, opere, obsequio, reverentiâ. Deus creator, qui creavit omnia valde bona, ut responderent sibi, ceu Domino servi, ea creavit. Non responderunt angeli desertores, abjecti sunt. Non respondit homo, factus inobediens, & ejectus è paradiso est. Deus gubernator generis humani, cùm velit servari omnes, fideique humilitate sibi subjici, ita omnia regit & gubernat, ut respondeant sibi precibus fundendis, cum invocari velit, & invocantes exaudire, & dare illis petitiones cordis eorum.) Eccles. V, 19. *Sed DEVS* (ipse) *approbat lætitiam cordis ejus.* (In paraphrasi Schmidtiana: *cum DOMINVS eum EXAVDIAT, ipsumq; consoletur lætitiæ cordis, quam ipsi concedit.* Hæc paraphrasis Deum facit exaudientem, vi vocis מענה.

§. XXV. Sed nondum dimittimus hanc apud Ecclesiasten sententiam. Vocem Hebræam מענה Buxtorfius in Concord. sub Nomine habet, quod explicatur ibi, *Responsum, Exauditio.* Geierus verò in Comm. p. 193. *licet alias* Nomen *sit, hoc tamen loco est* Participium, *sicut etiam* Prov. XXIX, 19. Mihi perinde est, No-

men sit, an participium, quod quidem scopum meum attinet, video in utramque partem rationes. Favet tamen participio, verborum positus atque ordo, qui hic est: *Nam Deus* respondens (est) vel, respondet, *in lætitia cordis ipsius.* Difficile autem est: *Nam Deus responsum* &c. Si, *Deus*, sequeretur, facilior constructio foret: *Nam responsum Dei* (est) *in lætitia* &c. Geierus l. c. p. 192. inter significationes, quæ sint loci hujus, refert: *Respondere clementer, seu* EXAVDIRE. Arias Montan. *Quia Deus respondens in lætitia* &c. Luther. tom. III. Jenens. p. m. 256. *Vocat* (Salomon) *ea* (opes, cibum, potum) *Dona* DEI, *ut doceat nos deponere nostras curas, ut hæc omnia à Deo* PER FIDEM EXPECTEMVS. Itaque responsum Dei exaudientis, quæ vis est vocis Hebrææ, supponit, vel requirit, atque exigit Fidem nostram, & expectationem nostram per fidem. Sic ergo Deus promtus ad elargiendum ista sua dona omnia, invocari vult, ut invocantes exaudias, utque invocantibus, & petentibus, ista donet.

§. XXVI. Ex versione Schmidtiana versus duos recitabimus. V, 18. *Cuicunq; etiam homini dederit Deus divitias & opes, & dominari illum fecerit* (illis) *ad comedendum de illis, & ad sumendum partem suam, & ad lætandum labore suo: hoc donum Dei est* (In Paraphrasi: *ingens Dei donum.* מתת.) vers. 19. *Nam non multum recordabitur dierum vitæ suæ; sed Deus* (ipse) *approbat lætitiam cordis ejus.* Versus prior de dono Dei habet, posterior de responso Dei exaudientis. Si est donum Dei dantis, δόσις, δώρημα, Jacob. I, 17. vult Deus id à se peti, Matth. VII, 7. αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν, *Petite & dabitur vobis*, ut det vobis Pater, ad quod dandum paratus est, & quod offert. Si est responsum Dei exaudientis, utique vult invocari, qui vult exaudire. Psalm IV, 2. *Cum invocavero, exaudi me*, responde mihi Te invocanti. Et Pagninus vertit: *Quia Deus* EXAVDIT *eum in lætitia cordis sui.*

§. XXVII. D. Schmidtius in paraphras. v. 19. *Tu itaq; quoque vide, ut bono sis animo fruarisq; præsentibus bonis, sive multis, sive exiguis: Deumque* ROGA, *ut talem tibi animum immittat potius, quam ut avarus sis.* Sic ex vi vocis, *Maaneh*, hæc est admonitio deducta: *DEVM* ROGA. Non pigebit Locum II. integrum, ex versu 19. deductum, p. 165. huc transferre. Ita habet: *Deus homini, cui dat divitias,*

vitias, non invidet, si iis lætè, & cum debita gratiarum actione utatur, ut potius vehementer approbet: quia tamen ejusmodi fruitio DONVM *etiam* DEI *est*; IDEO ORANDVS *est* DEVS, *ut* DET *etiam divitiis, quas* DEDIT, *recte frui.* Iterum ex vi Hebrææ vocis, quæ donum Dei habet, hæc derivatur & doctrina, & admonitio: *ideò orandus est* DEVS. Quomodo verò animus Dei, ad exaudiendum, atque ad dandum parati, non sit optimus animus, benevolentia, & gratia, & charitas magna? Pergit ergo: *BONVM DEI BENIGNISSIMI ERGA NOS HOMINES ANIMVM, qui nemini bonum invidet, sed* VULT *&* FACIT, *commendat versu hoc sapientißimus noster Ecclesiastes &c.*

§. XXIIX. Si ita explicatur Eccl. V, 19. tùm dico, hac explicatione summam haberi ejus explicationis, quam his Disputationibus in prov. XVI, 4 intendo. Ut ad verba: *Omnia operatur* DOMINVS *in responsum suum*: exclamemus: BONUM DEI BENIGNISSIMI ERGA NOS HOMINES ANIMUM, qui VULT invocari, & rogari, qui & FACIT, quod petunt invocantes, commendat sententia hac sua sapientissimus noster parœmiastes idem & Ecclesiastes. Ut addamus etiam: Quia omnis a Deo successus est bonus, quia non est hominis via ejus, nec est viri ambulantis ut dirigat gressus suos, IDEO ORANDUS EST DEUS in omnibus viis nostris: ô homo, tuam inscientiam, summamque providentiam agnoscens, DEUM ROGA.

§. XXIX. Ad loca §. 24. allegata, etiam Locus pertinet Mich. III, 7. *Ita pudefient videntes, & erubescent divinatores, & operient mystiacem omnes: eo quod non* (sit) respondens *Deus.* Vulgat. *quia non est* responsum *Dei* Pagnin. *quod non sit* verbum *Dei.* Chaldaic. לית בהון רוח נבואה מן קדם יי Schindler Lex. col. 1350. *non est in eis spiritus prophetiæ à Domino.* Vertit autem l. c. *responsum Dei.* Res ipsa ex vers. 4. certa est: *Tunc ergo clamabunt ad Iehovam, sed non* יענה respondebit *illis: occultabit verò facies suas ab illis in tempore illo, quemadmodum mala reddiderunt opera sua.* Conferri potest 1. Reg. XVIII, 26. *invocarunt nomen Baalis ab aurora usque ad meridiem, dicendo; Baal* responde *nobis: sed non* (erat) *vox, nec respondens.* In Hebr. ענה est, non מעבה. Sensus dubium non habet, scilicet, responsum exaudiens, exauditionem donatricem, liberatricem, à solo DEO esse expectandam.

§. XXX. Expendimus vocem *Quartam*, quæ maximam difficultatem peperit Interpretibus. Sequitur *Quinta* גם Vulg. *quoq;* pagnin. *& etiam.* Schmidt. *quin etiam.* Eccles. V, 15. vertit: *etiam.* In Annot. ad Eccl. V, 15. p 154. *Vav in* גם *assèverationi inservit pro*, certè, omninò; *Certe hoc quoq; est malum*, q. d. *certè verissimum est, nec negare quisquam jure poterit, istud etiam, quod de nuditate modo dixi, esse malum ægritudine plenum.* Hæc ibi. Sanè, sine Emphasi, *Vav* cum גם conjunctum in nostro Dicto non est. Augmentum doctrina sumit, & in augmento inopinatum quid infertur. Emphasis vatiat, pro materiæ subjectæ varietate. Namque, *in responsum suum*, &, *in diem mali*, opponuntur. Oppositio ea, quamvis immediata non sit, est tamen mediata. Deus enim, qui omnia operatur in responsum suum, hac bona voluntate sua operatur omnia *in diem bonum.* Huic opponitur *dies mali.* Quomodo ergo, qui operatur omnia in diem bonum, quenquam in diem mali agit? Sed DOMINUS, quamvis bonus, bonosque amans, omnia bene faciens, & benefaciens omnibus, impietatem atque malitiam, boni contemtricem, non potest dimittere impunitam. Huc facit Syracid. V, 6. *Et ne dicas, miseratio Ejus est multa, multitudinem peccatorum meorum reconciliabit: MISERICORDIA enim, ET IRA apud Ipsum, & super peccatoribus requiescet FVROR EIVS.* Ita prior pars versus nostri, miserationem, misericordiamque habet, pars verò posterior, iram & furorem, sed super peccatoribus, misericordia Dei abutentibus. Idem Syrac. XVI, 12. *Iuxta multam MISERICORDIAM Ejus, sic etiam est multa REDARGVTIO Ejus. virum juxta opera sua judicat.* LXX. ἔλεος καὶ &c. Et V, 6. ἵλεως γὰρ ἡ ὀργὴ &c. Declarant hæc satis Emphasin particulæ compositæ גם. Quia apud DOMINUM & misericordia est, & ira, ideò non solum bona voluntate sua omnia operatur in responsum suum, atque in bonum, sed etiam voluntate sua sancta & justa impium agit in diem malum.

§. XXXI. Ex Commentar. Geieri p. 841. hæc excerpo: *Enunciationi* generali *nunc* speciale *subjungitur exemplum, quod, cum fortasse sub prioribus non comprehensum potuisset videri, annectitur per voculam* גם Quin etiam, *q. d. non modo* &c. Ad sensum nostrum diceremus: Enunciationi generali de universali misericordia Dei, nunc

nunc specialis subjungitur enunciatio de sanctitate justitiaq; Dei vindicatrice, quæ, cum fortasse illi adversa potuisset videri, annectitur per voculam גם *Quin etiam*, q. d. non modo miseratio apud Eum est, sed & ira. Sola etiam particula גם Emphasin habet, versu 7. *Quando bene placuerint Iehovæ viæ viri, ETIAM* (גם) *inimicos ejus pacificos reddit illi.* Tacita est inimicorum ad amicos oppositio. Cum displicent viæ viri Domino, etiam amicos ejus infensos ei facit. Cum placuerint viæ viri Domino, etiam inimicos ejus pacificos reddit illi, hoc est, non modo amicos non avertit, sed & inimicos convertit: vel: omnes homines ei facit amicos, quin etiam inimicos vertit in amicos.

§. XXXII. Ita habuit particula גם Huic autem præfixum est *Vav*, quod copulandi, connectendique vim habet. Vis ergo ea est, ut cum præcedente connectat, utque id, quod sequitur, ad eundem referat, de quo dixerant verba præcedentia. IEHOVAH est, qui impium ferre non potest. IEHOVAH est, qui diem mali constituit diem iræ suæ.

§. XXXIII. *Sexta* vox est רשע. Apud Calovium Bibl. illustr. allegatur, qui exponat: *per Ellipsin* sic: *Et impius in diem malè* supple, *corruet*. Vatablus in annot. marg. *Et etiam impius (decidet) in diem afflictionis, id est, peribit, ut scilicet cognoscatur ira Dei.* Hackspan part. 2. Not. Philolog. p. 439. *Quod* רשע *sit* Nominativus, *id mihi parum probatur. Nam quid sibi vellet in gradatione dictio* גם? *Cur aliunde suppleretur verbum, cum suppetat in textu, & commode explicari queat?* Geierus p. 842. *Neq; etiam cum vocula,* גם quin etiam, *convenit, quod aliqui post* Vatablum רשע *in* Nominativo *vertunt*: Et etiam impius in diem malum, *scilicet, decidet vel corruet.* Pfeifferus p. 736. *B. D. König Vindic. p. 402. monet è Notis Vatabli in posteriori hemistichio* רשע *exponi posse in* Nominativo, *ut sit ellipsis verbi, h. m. sed impius in diem malum sc. corruit, vel suppleri posset,* TENDIT.

§. XXXIV. Bona est intentio & sententia eorum, qui accipiunt in Nominativo. Sed ea etiam nostra est. Ait illa: *Et etiam impius (decidet) in diem afflictionis.* Benè. Sed quo moderante, quo rem sic gubernante, præter mentem impij, supra captum pij? Utique, DEO. Ergo DOMINUS est פעל Poel, operans, gubernans,

nans, der schaffet es mit dem Gottlosen also / daß Er ihn unversehens in das Verderben stürtzet. Ait Vatablus, *decidet*. Sed, quo impellente, vel protrudente? DOMINO, dicente, *Discedite à me*. Matth. xxv, 41. Angelis abjicientibus, Marth. xiii, 42. Et psalm. xxxv, 4. *Pudefiant & erubescant quærentes animam meam, REPELLANTVR retrorsum, & pudore pallescant cogitantes malum meum.* vers. 5. *Fiant sicut gluma coram vento: Angelus IEHOVÆ IMPELLAT (eos.)* vers. 6. *Fiat via eorum tenebræ & lubricitates, & Angelus IEHOVÆ PERSEQVATVR eos (ibi.)* Adhæc: Prov. xxiv, 16. *Septies cadit justus, & resurgit; Impij autem corruunt in malum.* Corruunt, corruent, יכשלו. Hoc, vel simile in Textu nostro Verbum non est. Vatablus dixit, *id est peribis*. Bene. Conjunguntur enim hæc, psalm. ix, 4. יכשלו ויאבדו *impingent, & peribunt.* Sed etiam additur מפניך *à facie Tua.* Est ergo hæc Jehovæ gubernatio, omnipræsenter, omnipotenter, bene, sanctè, justè omnia gubernantis. Hanc nobis Dictum nostrum insinuat. Posset addi, in loco Prov. xxiv, 16. esse ברעה, cum Præfixo *Beth*, in nostro Dicto esse ליום כעה, cum Præfixo *Lamed*. Corruunt impij in malo, vi oppositionis, ita, ut non resurgant amplius.

§. xxxv. Prævalent etiam Rationes, quæ §. 33. ab Authoribus, ibi nominatis, indicatæ sunt. Una est à particula gradationis desumpta. גם. *Quid sibi vellet in gradatione dictio* גם? dixit Hackspan. Conferretur Impius, cum IEHOVAH. Omnia operatur IEHOVAH &c. Quin etiam Impius &c. Potius sic. Impius, omnia operanti DOMINO subjicitur. Nec dici potest: Omnia operatur DOMINUS &c. Quin etiam impius operatur &c. Si omnia operatur DOMINUS, nihil operabitur impius. Impius ergo objectum est DOMINI, omnia operantis. Alia Ratio est: *Cur aliunde suppleretur verbum, cum suppetat in textu.* Certe Ellipsis sine necessitate facienda non est. Sed obversatur mentibus sensus incommodior, si פעל ad impium etiam referatur, & operatio omnia operantis DOMINI etiam impium operetur. Sed addidit Hackspan: *& commode explicari queat.* Sane Vatablus commodam explicationem quæsivit, cum notaret: *Vt scilicet cognoscatur IRA DEI.* Bene. Et hæc nostra est explicatio, qui prius hemistichium ad MISERICORDIAM DEI referimus,

poste-

posterius ad Ejusdem IRAM. Supra §. 30. Accedit ad hæc, Repetitio præfixi Lamed. Omnia operatur JEHOVAH ל *IN* responsum suum, Quin etiam Impium ל *IN* diem malum. Ibi est intentio voluntatis antecedentis, hîc consequentis. Prov. XIX, ult. Parata sunt. ל *irrisoribus judicia, & contusiones* ל (גב ל Luth. auff der Narren Rucken) *tergo stultorum.* Irrisores, stulti, sunt impij. His parata judicia sunt & contusiones, irascente utiq; DOMINO, & ex ira justa, & judiciaria, operante.

§. XXXVI. Sed qualis est ille Impius, רשע? Disputation. secundæ §. 29. & 30. & 41. impietas impij descripta est in relatione ad verbum פעל, atque adeò in respectu ad operationes DOMINI omnia operantis, quas ille impietate sua, ipsi dominante, non advertit, & contemnit.

§. XXXVII. Uti verò operationum DOMINI contemtrix est impietas impij, sic & precum. Et hoc in relatione ad verbum למענה *in responsum suum.* Vult invocari, vult exaudire. Non pendet ab exaudiente DOMINO impius, sibi prospicit ipse, ipse sibi consulit. Temnit preces, superbit viribus suis. In Cantico Ecclesiastico: Sie ruffen ihm nicht in der Noth / Sie wollen sich selbs versorgen. Impietas hæc descripta est Psalm. XIV, 4. *IEHOVAM NON INVOCAVERVNT.* Et hoc quidem cum contemptu consiliorum optimorum, quibus invitabantur ad fidendum DEO, atque ad DEUM ex fiducia invocandum. Vers. 8. *Consilium afflicti contempsistis, quòd IEHOVAH sit fiducia ipsius.* Ihr aber schmähet des Armen Rath / und hönet alles was er sagt / daß GOtt sein Trost ist worden. Uti habet Canticum idem, *afflictus* autem, עני, idemque צדיק *justus*, vers. 5. & 6. unicum in precibus, atque in Gratia exaudientis DOMINI, præsidium habet. Eique, sic respondet invocanti, atque ad Ipsum confugienti, ut fiat יהוה מחסה *DOMINVS refugium ejus*, & fiducia ejus.

§. XXXIIX. In respectu ad יהוה impietas impij est, ut dicat in corde suo: אין אלהים, *NON EST DEVS.* Et hoc non originali tantùm vitio depravatus, sed & distortus actuali malitia, qua, excussa reverentia Numinis, operatores fiunt iniquitatis, impius in corde suo id dicit. Sapient. II, 2. *Casu generati sumus, & post hoc erimus, quasi nunquam fuissemus.* Prov. XIV, 2. *Ambulans in*

 rectitu-

rectitudine sua, est timens IEHOVAM, *sed perversus viis suis* CONTEMNIT EVM. Qui ad operationes JEHOVÆ non attendunt, neque ad opera manuum Ejus, Ipsum etiam JEHOVAM contemnere dicuntur.

§. XXXIX. Possumus impietatem impij etiam ad *diem mali* referre. Prænunciatur, prædicitur illi dies malus. Commina-tiones temnit. Psalm. X, 3. *spernit* IEHOVAM. Vers. 4. *Impius juxta sublimitatem iræ suæ non quærit* (DEVM:) *non* (est) DEVS *in omnibus cogitationibus ejus.* Vers. 5. *sublime quid* (sunt) *judicia Tua ab ipso,* Deine Gerichte sind ferne von ihm. Est ἐμπαίκτης, illusor, derisor, 2. Petr. III, 3. πᾶν ἔργον dicens, ποῦ ἐστιν, *VBI est promissio adventus Ejus*, vers. 4. DOMINUS verò qui operatur omnia in responsum suum, quin etiam impium in diem malum, ea ratione diem malum constituit, ordinatque, frenoque suo ita circumagit impium, ut subitanea ipsi superveniat perditio, utque effugere non possit, 1. Thess. V, 3.

§. XL. *Septimam* & *Octavam* vocem phrasis una habet, *Dies mali.* Non enim licebit divellere, ut priorem vocem explicemus *adverbialiter*, singulis diebus, in dies; posteriorem *verbaliter*, pavit. Geierus p. 842. *Adeoq; alienum est à scopo, quod verbaliter nonnemo accipit* רעה *pro* PASCIT, *hoc sensu: etiam impium ad diem, vel, dietim pascit ac sustentat.* Subscribo.

§. XLI. Quid verò רעה? Adjectivum est, sumtum Substantive: constructumque cum יום Substantivo præcedente, ut i solent Substantiva cum Substantivis construi. רעה igitur, res mala est, malum. Frantzius de Interp. Script. S. Oraculo 35. p. m. 400. *Quòd* DIES MALVS *sit calamitas, patet* Psalm. XLI, 2. *ubi idem est vocabulum, quod habetur* Prov. XVI, 4. *Sic enim habet*: Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in *die mala* liberabit eum Dominus. Diem malum, *ulterius explicat per species Propheta David, nimirum insidias hostium & morbos.* &c. Utique phrasis utrobique eadem est, neque potest Psalm, XLI, 2. de *peccati* malo intelligi. Dies mali est dies malus. Uti Buxtorf. Thes. Gram. l. 2. c. 3. p. m. 359. notat, *Duorum substantivorum posterius frequentissime adjectivi circumscriptionem esse, abstracto pro concreto posito.* Inde Frantzius reddidit: *dies malus.* Feurborn. de Peccato in Spir. S. p. 204. *Ma-*

lum

lium pœnæ & vindictæ divinæ, dicitur Poal Elohim, *OPVS Dei*, Psalm. LXIV, 10. *Quare fecit Deus impium ad diem mali, id est, afflictionis, & tribulationis.*

§. XLII. Dannhavver. Hodom. Calv. p. 1008. Consequentiam proponit: *impium ordinat ad diem malum. E. ut peccet:* Sed respondet: *Quasi non possit minus incongrue malum pœnæ intelligi Psalm.* XXVII, 5. XCIV, 13. *Quid enim aptius quadrat in hominem malum, quam dies malus? Pœna enim & culpa correlative sibi invicem respondent.* Dixit moderatè! *minus incongrue.* Adhæc duo ex Psalmis loca allegavit Dannhavverus. Frantzius §. 41. tertium ex Psalmis allegaverat. Quisquis igitur, *diem mali*, de tempore ad peccandum constituto, & prædeterminato; vel, *ad diem mali*, explicare vult, ut hoc tempore præfixo peccet, omni jure urgeri potest, ut pro hoc sensu, aliquos etiam scripturarum locos alleget & ostendat. Contradicit autem frequentissimus, & perpetuus phraseos hujus in Scripturis usus. Geierus itaque cum fiducia scripsit: Dies mali *SINE DVBIO, non est dies peccati, verùm dies vel tempus infortunij, ita ut* Raáh *non ETHICE sed PHYSICE accipiatur.* Comm. p. 842. Hæc ille. Dubium sane omne Scripturæ usus eximit.

§. XLIII. Verum equidem est, Verbum רוע, in Hiphil, ita significare, malefacere, ut malum illud, Scripturæ usu, & de malo peccati, & de malo pœnæ, adeoque & ethice, & physice, accipiatur. De malo afflictionis, etiam à DEO immissæ, Exod. V, 22. *Reversus itaq; est Moses ad IEHOVAM, dixitq;: Domine, quare* malum feciſti הרעתה *populo huic? quare misisti me?* Vers. 23. *Ex quo enim veni ad Pharaonem ad loquendum in nomine tuo*, malum fecit *populo huic, nec liberando liberasti populum tuum.* Malum populo Deus fecisse dicitur, quia non liberavit, sed afflictionis etiam augmentum permisit. Jos. XXIV, 20. *Quando* (ergo) *deserueritis IEHOVAM, & servieritis diis alienigenæ, avertetur*, & malum faciet *vobis, & consumet vos, postquam bene fecerit vobis.* Malum facit Deus, sed aversus. Aversus autem à desertoribus. Desertus deserit, & avertitur. Malum facit, postquam bene fecit. Itaque bonitate sua motus, facit bene. Bonitate sua motus ad homines conversus, benefacit eis. Conversus ad homines Deus, operatur omnia in responsum suum, ut pro bonitate

ſua invocantes exaudiat, iiſque bene faciat. Impius impietate ſua deſerit Deum, avertit ſe ab eo, ſervit non-diis. Ob impietatem hanc, averſus ab impio Deus, malum facit ei, & die mali repentino obrutum conſumit.

§. XLIV. Ita de malo *afflictionis*, & *pœnæ*. De malo *peccati*. 1. Reg. XVI, 25. *Fecit autem* Omrius *malum* (In Hebræo eſt, הרע, eſtque malum peccati. Non dicitur רעה, quod eſt in noſtro textu) *in oculis IEHOVÆ: dum* malum fecit (הרע) *præ omnibus, qui ante eum* (fuerunt.) Hoc malum, peccati malum fuit, & idololatriæ auctæ. Jerem. VII, 26. *Attamen non audiverunt Me, neq; inclinarunt aurem ſuam, ſed obdurarunt cervicem ſuam: MALVM FECERVNT præ patribus ſuis.* Malum hoc eſt non audientium Dominum, non inclinantium aures ſuas, & obdurantium cervicem ſuam. Hinc quidem patet ſatis, Verbum illud, & de malo afflictionis atque pœnæ, & de malo peccati ſumi. Sed addendum & hoc eſt, nullum in Textibus iſtis dubium eſſe, quo ſenſu verbum illud quovis in loco ſit accipiendum.

§. XLV. Quod §. præcèdente indicatum fuit, id jam dicitur apertius. De Regibus, qui malum fecerunt, in oculis Domini, non dicitur: Et fecit הרעה vel הרעה, quale eſt in Dicto noſtro, הרע. 1. Reg. XIV, 22. XV, 26. 33. XVI, 19. 25. 30. XXII, 33. 2. Reg. III, 2. VIII, 27. XIII, 2. II. XV, 9. 18. 24. 28. XVII, 2. XXI, 2. 20. XXIII, 32. 37. 9. 19. Satis multa hæc loca ſunt ex libro utroque Regum.

§. XLVI. Quod ergò phraſin noſtram יום רעה attinet, vel etiam cum præfixo Lamed, ליום רעה uti eſt in textu noſtro, prorſus ei ſimilis eſt phraſis, in eodem Prov. Libro, XXI, ult. *Equus comparatur* in diem prælij; *ſed IEHOVÆ ſalus* (eſt.) ליום מלחמה. Dies prælij eſt, quo prælium committitur, & ליום non poteſt ſignificare, *dietim*: ita dies mali eſt, quo malum ingruit, & ליום non poteſt ſignificare, *dietim*. Equus non fit, non generatur, in diem prælij, ſed factus, & inventus idoneus, comparatur in diem prælij: Sic impius non fit, non generatur, in diem mali, ſed factus, & inventus dignus ſupplicio, agitur in diem mali.

§. XLVII. Quum verò יום dubium ſit, quia idem eſt in ſtatu *abſoluto* & *conſtructo*, præter diverſitatem generis, ubi יום Maſcu-

Masculinum est, רעה autem Fœmininum, quod non sit in ordinaria Substantivi cum Adjectivo constructione, dubium omne vel unius loci collatio solvit. Eccles. XII, 1. *dum nondum venerint* dies mali, ימי הרעה. Manifesta est Substantivi cum Substantivo constructio. Uti ergo in Plurali ימי, ita in Singulari, יום.

§. XLIIX. Id quod dei mali opponitur in Scripturis, docet, de die afflictionis eum accipi. Eccles. VII, 15 *In DIE BONI fruere bono: in DIE autem MALI vide* &c. Opponuntur יום טובה & יום רעה. LXX. optimè: ἐν ἡμέρᾳ ἀγαθωσύνης. Et ἐν ἡμέρᾳ κακίας. Ita טובה est ἀγαθωσύνη & רעה est κακία. scilicet, uti Matth. VI, ult.

§. XLIX. De phrasi, *Dies mali*. §. 41. Frantzius allegavit Psalm. XLI, 2. & §. 42. Dannhavverus Psalm. XXVII, 5. XCIV, 13. §. 47. allegatus locus est, Eccles. XII, 1. Itemque §. 48. locus. Eccles. VII, 15. Quinque sunt loca. Additur Psalm, XLIX, 6. *Quare timuerim in diebus mali?* Est tamen בימי רע. Amos VI, 3. *ô qui procul putatis abesse diem malum.* Et hîc רע est, Potest etiam verti: *diem mali*. uti loco prioti: *diebus mali*. Esther, VIII, 17. est יום טוב *Dies bonus*, quid describitur ibidem, dies gaudij, lætitiæque suavis, & convivij hilaris. Jerem. XVII, 18. *Pudefiant persecutores mei, nec pudefiam ego: terreantur illi, ego autem ne terrear: adduc super eos DIEM MALI, (יום רעה) & geminata fractione frange eos.* Dies mali est dies ignominiæ, dies terroris, dies confractionis.

§. L. Ita habet ANALYSIS verborum, phrasiumque Dicti nostri Prov. XVI, 4. Et fuit inquirendum in vim verborum, Phrasiumque sensum; fuitque & vis illa, & sensus ille, ex Scripturarum collatione manifesta, ad oculum ostendendus. Hinc fit, ut quamvis prolixior ea facta sit, & præter institutum excreverit, tamen non pœniteat laboris impensi, consumptiq; temporis.

His ita expositis, pro materia disputandi uberiori quædam subjiciuntur.

I. Actor. V, 20. Angelus, cum Apostolos carcere clausos liberaret, januisque apertis eos educeret, dixit illis: *Ite, & stantes loquimini in templo plebi* πάντα τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης, *omnia verba vitæ hujus.* Benè ne hæc versio habet, quæ ζωῆς, vertit, *vitæ?* Communis ea interpretatio est. Heinsius miratus interpreteset, &

cor-

correxit, aliam afferens interpretationem. Exercit. sacr. in Act p. 273. *Nunquam erit ut eos audiam, qui* hypallagen *hoc loco statuunt: ut, videlicet,* τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης, *sit,* τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτα. *Imò* HEBRAISMVS, *de quo* IN MENTEM ERVDITIS *non venisse videtur.* τὸ חיה *inter cætera* conventum *notat, sive* cœtum. *Agi autem hîc de omnibus Apostolis, aut plerisque, certè de* conventibus *eorum, è superioribus patebit. Notum illud* Psalm. LXXIV. Cœtum pauperum tuorum ne oblivioni tradas. Et *præcepit:* Ne tradas cœtui animam turturis tui. *Vbi bis* τὸ חיה *habes. Quod non uno modo variis in locis expressêrunt Helleenistæ. Vocem si spectes,* ζωὴν *denotat.* Psalm. LXVIII. cœtus tuus habitant in ea. *Adverbum,* κατοικήσουσιν, cœtus *tuorum aut* conventus. *Verba igitur,* τῆς ζωῆς ταύτης, *quæ in* cœtu vestro *habentur, verba* congregationis vestræ, *vel conversationis.* Τὰ λόγια τῆς ὁμιλίας ταύτης, Græci dicerent. *Nam alia sunt* λόγια ζῶντα, quæ Moses accepisse dicitur VII, 38. ὃς ἐδέξατο λόγια ζῶντα δοῦναι ἡμῖν. Hæc Heinsius. Fateor, mihi hæc visa esse indigna Viro eruditissimo. Vis infertur textui. 1. Ubi in Novo Testamento ζωὴ, *cœtum* notat? 2. *Hypallage* necessaria non est. Sed fuga tropi à simplicitate non avertit. 3. Emphasin habet, τῆς ζωῆς ταύτης, *vitæ hujus. Hujus,* scilicet quæ ab Apostolis, ut testibus resurrectionis Christi, in JESU vivificato, annunciabatur. 4. Hujus vitæ annuntiationem ferre non potuit *hæresis Sadducæorum.* Act. V, 17. 5. Loca è Psalmis nihil efficiunt. Psalm. LXVIII, 11. in Græco est, τὰ ζωά σου. Psalm. LXXIV, 19. τοῖς θηρίοις. Et, τῶν ψυχῶν. 6. Heinsius ipse: *Quæ in cœtu* VESTRO *habentur, verba congregationis* VESTRÆ. Atqui non dixit Angelus, τῆς ζωῆς ὑμῶν.

II. Ad Actor. V, 36. 37. cum difficultates exposuisset, quibus fatigantur interpretes, & quas ipse movet, subjicit Heinsius: *Quid igitur, quod additur,* μετὰ τοῦτον ἀνέστη Ἰούδας. *quo significatur, post eum Theudam, quem superioribus diebus extitisse ait, Iudam Galilæum fuisse, qui tot annis ante vixit? DISTINGVE,* ὃς ἀνῃρέθη, καὶ πάντες ὅσοι ἐπείθοντο αὐτῷ διελύθησαν, καὶ ἐγένοντο εἰς οὐδέν· μετὰ τοῦτον. *Vt,* μετὰ τοῦτον, post eum, *sit,* eo sublato. Hæc Heinsius. At, cujus codicis autoritate, nova hæc distinctio nititur? Nulla hoc loco varia Lectio annotata est ab iis, qui varias lectiones collegerunt. Constanter legitur, μετὰ τοῦτον ἀνέστη &c. 2. Et, μετὰ τοῦτον, num significat, *post eum?* Quis non vertit, *post hunc?* 3. Et quid repetitone opus est: *qui* SVBLATVS *est, & omnes qui obtemperaverunt ei dissipati sunt, & redacti in nihilum* EO SVBLATO? 4. Et quæ hæc foret variatio, αὐτῷ, &, τοῦτον? Non dixerat, ἐπείθοντο τούτῳ. Et post αὐτῷ, non convenit, τοῦτον. 5. Et quàm foret abruptum versus trigesimi initium: *SVRREXIT Iudas &c.*

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn861547543/phys_0032

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861547543/phys_0034

tit, & ab utroque, tum à Patre (π), Filio (ϱ), ab aeterno procedit. Prae-, quod רוח תחנונים Spiritus precum onum appelletur, titulo etiam רוח חן ae eum condecorari animadvertimus, diſcimus, quod in illis, ſuper quos ef- a virtutum aliarumque excellentiſſima- m (σ) pro ſingulari clementia exciter, qui ſpiritualibus motibus non repu- em ſummamque miſericordiam beni- ceatur. Evidentiſſimum namque gra- tum eſt, quando Spiritus Sanctus non atiam (τ) recipit, ſed etiam de divina es facit omnes pios, quotquot eorum a carne luctari neceſſum habent, & per que beneficiorum conſiderationem facil- ſe induci patiuntur, ut coeleſti illa ac ef- iritus Sancti gratia indignos ſe fore pro- edant. Quapropter ante omnia, ne tri- nodi dubitationibus nimium indulgeant, m & ſubſecuturae divinae irae gravita-

.26.

XII. 1. adde ſymbola fidei noſtrae Nicaeno- ntinopolitanum & Athanaſianum. Graecorum onnullorum, πνεῦμα ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ ἐκπορευόμενον Spiritum Sanctum à Patre per Filium entem profitentium, confeſſionem neque cum iteris conformem, neque accuratam ſatis & ntem pronunciamus.

4. 5.

I. 6. Eph. IV. 7. itemque 1. Tim. IV. 14.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861547543/phys_0035